

omnibus. Tam sincerè ab omnibus hic quæritur Christus, tanta est inter omnes animorum consensio, tanta in superiores et regulas observantia, ut nihil hic aliud optandum mihi videatur, quam ut qui unus longissime fratribus meis sum absimilis, ad eorum virtutem tandem aliquando aspirare aggrediar, ad quod paternitatis vestræ preces quam possum ardentè imploro.

R^d. P. Pauli Ragueneau, Missionis hujus huronensis superioris tum exemplum, tum industria plurimum omnino conferunt ad tam bonum totius missionis statum: Sic ut sine gravi omnium nostrùm atque adeo, Missionis totius damno non putem fieri posse, ut post expletum tertium annum alius ei sufficiatur, quin imò è re nobis maximè esset ut idem R. P. Ragueneau per multos annos missionis hujus curam gereret, quod et sentio de superiore totius missionis canadensis qui est P. Hieronymus Lallemand, quem etiam existimo plurimum expedire totius missionis administrationem continuare. At de R. P. Paulo Ragueneau longè evidentissimum mihi.

Quod ad externa spectat, strenuè laborant nostri in excolenda commissa nobis à Domino vinea, quæ quidem majores in dies fructus proferet, etsi pedetentim. Tardum enim est barbarorum nostrorum ad suscipiendam fidem ingenium, et ad susceptam fidem excolendam jugem ac perennem laborem his initiis exigit. Non tamen pœnitendum, cùm bene multos hic christianos nobis dederit Deus in quibus et fides